In Sereniſſimi REGIS

JACOBI Secundi Exilium.

PRimus, ab *Angliacis Hibernas* qui petit Oras,
Rex *Britonum*, paſſus dira, *Jacobus* erat.
Heu! Fato profugus, Terris jactatus & Alto,
Perjuræ patriæ vique dolóque ſuæ.
Natæ Arma effugiens Regnis fuit exul ademptis,
Gente mala Dominum, * Sancta, fugante, capit:
Sancta, ſacri cuſtos Regis, meritóque vocetur,
Vel potiùs Latium, quo latuiſſe ferunt:
Deterior donec, miſerum, (vah!) & decolor Ætas,
Et Belli rabies, vexat, amorque necis:
Sanguinis Auguſti ſitiens, venatur Hirudo,
Subditus atq; Gener, Filia, Servus, equi.
Anglia deponat, ſoror atque *Albania*, Nomen,
Quæ didicit Dominum depoſuiſſe ſuúm:
Gens inimica Cruci, Mandati oblitáque Chriſti,
Bellatrix rabida, & neſcia dura pati:
Cui fuit omne Nefas; fugere pudórque fidéſque,
In quorum fraudes jam ſubiere locum.
Sed quando audimus vocem Regique Deóque,
Pergratam? (nunquam?) pænitet atque pudet!
Vocem, pacantem Regiſque & Numinis iras,
Quas ſibi graſſantes Gens inimica tremat.
Iratum imprimis Numen veniam pete ſupplex,
Contriti precibus Numinis ira cadet.
Túmque patrem, genibus flexis, ignoſce, precemur,
Peccanti Patriæ tu Carolide tuæ:
Parce *Jacobe* tuis, (ſubjectis parcere Regum eſt)
Te facili meminit Gens tua Stirpe ſatum.
Te pulſum patria, miſeri revocamus ad illam,
Digneris Princeps chare redire domum.
Proh dolor! Exilii ſatis eſt jam bis repetiti,
Sat tua Bellorum Genſque rebellis habet.
Surge igitur, fer opem moribundæ, Phoſphore, Genti,
Et radiis nebulas, Celſe, fugato tuis.
Te ægrotus Medicum populus, Vitámque Cadaver
Invocat exanime, & languida Membra Caput.
Eripe nos Morti, civilibus eripe Flammis,
Vaginæ Gladium pace jubeto frui.
Sanguinis (ah!) fluxum cohibe, da juráque læſo,
Inſonti Meritum, Debita funde reo.
Des humili veniam, pænas det pérque duellis,
Et non ſanandos enſe recide tuo.
Quémque mori, moritur, vivit, quem vivere, mandas,
Diviſum Imperium cum Jove Cæſar habes.
Nos tibi Factorum debemus reddere cauſam,
Tu Soli debes dicere Facta Jovi.
Jamque reſume tuos (aderit nam tempus) Honores,
O *Caroli* Soboles, Martyre Crete pio.
Aſpice convexo nutantem pondere Mundum,
Terras, & Cælos, atque profunda ſimul.
Aſpice venturo lætentur ut omnia Seclo,
Et reduci Domino Munera grata ferant!
En ut vociferant, cingentes Tempora Lauro,
Vivat Rex *Britonum*, vive *Jacobe* diu!
A teneris Exul, vivat, tua Regia Proles,
Maternis Lachrymis paſtaque nata ſimul!
Exul, ob inſanæ, non propria, Crimina Gentis,
Suppoſtrix minimè quód bona Mater erat.
Dum mala mendacis patitur pia Fœmina Linguæ,
Vindicias Læſæ promit honore Deus.
Non vos, Anglicolæ, pudet hæc opprobria dici?
Nónne, refelli iſthæc jam potuiſſe, pudet?
Parce tuis, Mater formoſi Regia Fætus,
Vindice, parce reis, Cælipotente tuo.
Nate piâ certè Reginâ aggredere Honores,
Quos tibi Cælicolæ, quos tibi Terra dedit.
Forma tua, *Auguſtum*, loquitur, te, vox ſonat ipſa,
Quódque Atavis Britonum Regibus ortus eras.
Incipe, parve puer, riſu cognoſcere Matrem,
Semina cui Lachrymæ, Gaudia Meſſis erat.
Incipe, parve puer, Genitorem dicere Mundo,
Factis, quæ tanto credita digna Viro.
Et mihi tam longæ maneat pars vltima Vitæ,
Et quantum ſat erit dicere Facta tua.
Túque redi in Cælum ſerus, longeque *Britanno*
Interſis populo, nil niſi læta ferens.

* Hibernia.

LONDINI, Impenſis Authoris, *Anno Dom.* 1690.